

pauperum (hoc enim commendat pius Ecclesiarum et fidelium omnium saeculorum usus); sed quod praeferenda sit beneficentia et eleemosyna ante mortem facta ab homine vivo et sano, idque minus de causis: prima est, quod quae in morte relinquuntur, magis coacta videantur et involuntaria; quae vero in vita, magis voluntaria sint et libera: in vita enim relinquit homo ea quibus potest uti, in morte vero ea quibus amplius uti nequit. *Secunda*, quod quae in vita dat vivens, ea sibi subtrahit: quae vero in morte, ea mors illi subtrahit; liberalior ergo est dans vivens, quam moriens. *Tertia*, quod eleemosyna data a vivente ei preces pauperum Deique favorem conciliat, ut liberaliter in eum sua dona et gratias effundat; secus est in morte: post mortem enim homo novae gratiae est incapax, nec in ea et iustitia crescere potest. Quocirca sapienter S. Lucia petit a matre ut sortem hereditatis obtenturae sibi assignaret in vita, quo eam illico in pauperes erogaret; cumque mater se difficilem praerberet, diceretque se post mortem suam ei sortem relicturam, qua faceret quod liberet, subjunxit S. Lucia: «Melior est beneficentia in vita, quam in morte, sicuti magis illuminant faces quae praeeunt incedentem, quam quae sequuntur,» quod eleganter dicunt Belgae: *De keersse die vooraet die licht best*. *Quarta*, quod testamenta et legata facta in morte multis litibus sint obnoxia, ac non raro tarde vel nunquam solvantur, imo ab haeredibus evertantur: quae vero in vita dantur, everti nequeunt. Audi hac de re S. Chrysostomum homil. 18 in *Epist. ad Roman.*: «Licet, inquit, ut et ab ipso testamento commenderis, etsi non quemadmodum si, dum vivis, bene ageres; licet tamen. Quo pacto? si Christum in ipso cum haeredibus conscripseris, partemque illi totius sortis tradideris. Non pavisti Christum dum viveres? saltem abiturus hinc, quando jam non amplius eorum quae possidebas usum ac potestatem habes, tua illi contribue; non erit, quemadmodum benignus est, curiosus aut difficilis erga te. Majoris quidem amoris signum fuerit, majoraque dignum mercede, si Christum dum vivis, paveris; si vero illud non fecisti, vel quod secundo loco licet, aggredere: nimirum, relinque illum filiis tuis cohæredem.»

Audi et S. Basilium homil. 7 *Contra divites avaros*, tenacitatis eorum excusationem recensentem et refellentem: «Nolo inquis, vendere, nolo pauperibus dare, ob vitae necessarios usus; ego quidem bonis, dum vixero, frui volo: post mortem vero in testamento haeredes facultatum mearum ac dominos pauperes adscribam. Heu miser! tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? cum te cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo? magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur aut gratia, si in sepulcro jacens, et in terram conversus; magnificus

ac sumptuosus apparebis? si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus ac deliciis absumpto, pauperes nequaquam aspexisti; mortuus cujusnam actionis aut operis mercedem petiturus es? nullus enim post mercatum solum negotiatur, neque demum post certamina accedens coronatur, nec post bellum fortia gerit: nec item post vitam pietatis laudem praemiumque capiet.»

14. NON DEFRAUDERIS A DIE BONO, ET PARTICULA BONI DONI (aliqui legunt, *boni diei*) NON TE PRÆTEREAT. — Redit Siracides ad illud vers. 11: «Benefac tecum,» id est, tibi, illudque inculcat et exaggerat. *Diem bonum* vocat felicem, lætum, jucundum, q. d. Ne te defraudes felici et jucundo die, v. g. convivii aut festi, nec portione bonorum tibi a Deo donatorum te prives, sed ea fruaris jucunde, honeste tamen et moderate cum timore Dei, non prodigaliter ad luxum. Græca, *ne defraudes a die bono, et pars boni desiderii* (id est, boni desiderabilis) *non te prætereat*; alii, *et pars honestæ cupiditatis ne prætereat te*; Tigurina, *ne te defraudes jucundo die, nec te fructus bonæ cupiditatis prætereat*; Syrus vero, *ne prohibearis a bono diei, et concupiscentiam odibilem non concupiscas*. Videtur Syrus in Græco negationem non trajecisse, eamque combinasse cum *bonæ*, non cum *prætereat*, hoc modo: «Et fructus non bonæ (id est, malæ, odibilis) cupiditatis te prætereat.» Hoc enim in re idem est cum eo quod ipse vertit, *et concupiscentiam odibilem non concupiscas*.» Siracidi antistropha est gnome Arabum, *Centur.* 1, num. 15: «Ne perde margaritas in die festo, id est, ne contristeris, neque fleas in loco letitiæ.»

Mystice, q. d. Die festo cum datur tibi facultas vacandi Deo, orandi, meditandi, communicandi, legendi pia et Vitas Sanctorum, ea utere, pascementem cum Magdalena epulis hisce divinis. Maria enim optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. Ita Lyranus. Noster P. Balthasar Alvarez, vir valde spiritualis, hoc apposite refert ad Eucharistiam, q. d. Post sacram Synaxin noli declinare ad res externas, sed versare cum Christo, illo frui, illi tuas necessitates expone, gratias congruas efflagita, cum illo dissuaviare. Qua de re pulchra documenta vide in Vita ejus, quam scripsit Ludovicus de Ponte, cap. vi, § 2, pag. 74. Citavi ex eis nonnulla *Zachar.* x, vers. 17.

Denique particula *bonæ diei non te prætereat*, quae utique non est alia, quam praestandæ alicujus bonæ actionis occasio. q. d. Nullam occasionem exercendæ virtutis omite; ita virtutibus meritisque dives, in iisque perfectus efficiere. Eam enim diei partem auspiciatam et felicem existimat liberalis, quam donando et benefaciendo exegit; eam vero nigro calculo assignat, in qua nihil doni aut beneficii ab ipso in alios profectum est. Sic Basilius Imperator inter alia capita *Exhortationum ad filium Leonem* dictata, tom. V

Biblioth. SS. Patrum: «Largire, inquit, misericordiae stipem egentibus, ut ipse tibi misericordiam allicias a Rege universorum Deo. Nam in eo praecipue versatur pietas, si tua non habentibus benigne impertiaris. Eum ergo diem tibi periisse existimato, in quo nemini benefeceris, pro beneficiis quae a Deo illo die acceperis.» Titus Imperator cum aliquem diem sine insigni in quempiam beneficium transmisisset, vespere suspirans, dicebat: «Amici, diem perdidisti.» Idem longe potiori ratione dicat Christianus, Sacerdos, Religiosus. Studiose ergo captanda occasio bene agendi: abit enim et avolat illico, nisi prehendatur, imo praecupetur. Unde pro non te prætereat, Græce est *μὴ σε παραδέηται*, id est non te præcurrat aut fallat, quia occasio oculus et quasi furtim elabitur.

Hac de causa veteres, ait Seneca, lib. I *De Benefic.* cap. III, aiebant Charites, sive Gratias, et Horas (quae occasionis sunt symbolum, imo locus et situs) iisdem parentibus esse prognatas, scilicet Jovis et Eurynomes esse filias, Horas quidem seniores, Gratias vero juniores, ut significarent Gratias Horis, id est, occasione, quasi subesse, ab eaque pendere, adeo ut dilationem non ferant, sed horis opportunis praestari debeant. Hunc sensum innuit vox Græca *μερίς ἐπιθυμίας ἀγαθῶν*, id est, particula boni desiderii, vel bonæ cupiditatis, q. d. In vita hac tam brevi qua curris ad aeternitatem, cave ne ulla verorum bonorum cupido, tibi a Deo immissa, tuo vitio cadat irrita et cassa. Vide nostrum P. Menochium, lib. II *Hieropolit.* cap. XXV, num. 2. Sane hoc grave et prudens est Sapientis consilium.

15. NONNE ALIIS RELINQUES DOLORES ET LABORES TUOS IN DIVISIONE SORTIS? — Dat stimulum ad beneficentiam, ut scilicet quis opibus suis sibi et aliis benefaciat: nimirum hinc, quod illas, licet multis doloribus et laboribus a se partas, cogatur brevi in morte aliis, ut filiis vel cognatis, relinquere, ut ipsi eas inter se sorte dividant, q. d. Quin ergo potius tu ipse opibus tuis, quae tantis doloribus et laboribus tibi steterunt, frueris? Cur aliis asinine laboras, et fatigas teipsum? Cur aliis tuos dolores devorandos et prodigendos relinquis? Unde Græca habent, *numquid alteri relinques labores tuos, et defatigationes tuas divisioni sortis? vel ad divisionem sortis*, ut scilicet ipsi eos sorte inter se dividant; Tigurina, *nonne labores tuos relinques alii, et quae opera tua comparasti, dividenda haeredibus? Syrus, alii enim relinques divitias tuas, et laborem tuum illis qui jaciunt sortes*. Ubi *τὸ jaciunt sortes* dupliciter accipi potest: primo, q. d. Qui sorte dividunt tuas opes; secundo, q. d. Qui lusu et jactu aleæ consument prodiguntque opes tuas. Sic enim saepe fit ut avari opes tanto studio collectas relinquant haeredibus prodigis, qui ludendo, et symposia per sortes celebrando, eas abliguriant. Complutenses, Rabanus, Lyranus et alii *τὸ in divisione sortis* referunt ad vers. seq. hoc modo: *In divisione sortis da et*

accipe, idque vario sensu, uti mox ostendam. Verum Græca passim et Romana, caeteraque Latina, idipsum referunt ad praecedentia, eo modo et sensu quo dixi. Nota: Recte opes vocat *dolores*; nam, ut ait Prosper, lib. II *De Vita contempl.* cap. XIII: «Divitias qui habent, sine labore non quaerunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delcetatione non possident, sine dolore non perdunt.»

16 et 17. DA ET ACCIPE, ET JUSTIFICA ANIMAM TUAM. ANTE OBITUM TUUM OPERARE JUSTITIAM, QUONIAM NON EST APUD INFEROS INVENIRE CIBUM. — Græca sic tantum habent, *da et accipe, et sanctifica animam tuam, quoniam non est in inferno quaerere cibum*. Græca Romana pro *sanctifica* legunt, *falle animam tuam*, id est, consopi animæ tuæ curas et sollicitudines; et pro *τρεφήν*, id est *cibum*, legunt *τρεφήν*, id est *delicias*. Tigurina, *da et accipe, dum sanctum conserves animam tuam (et ante obitum tuum eerceas justitiam), quoniam non est quod quaeras apud manes cibaria*; Syrus, *da et accipe, et alas animam tuam, et omne quod pulchrum est ad ogendum coram Deo fac; quia omnes homines consumendo consumuntur, et generationes mundi moriendo moriuntur*.

Jam *τὸ da et accipe* varie exponitur.

Primo, Rabanus sic necit et explicat: «In divisione sortis, inquit, dat et accipit, qui hic verbum doctrinae proximis suis impendit, et bonorum actuum exempla relinquit, ut in futuro pro hoc praemium aeternae vitae accipiat. Justificat ille animam suam, qui per confessionem et poenitentiam mundat mentem suam; et operatur justitiam, qui mandatorum Dei intelligentem habet custodiam; quoniam non est apud inferos invenire cibum, hoc est, pabulum vitae. Quoniam non est, inquit, in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?» Verum hic sensus tropologicus est et anagogicus.

Secundo, Lyranus eodem modo nectens, sic explicat: «In divisione sortis da et accipe; ordinavit enim Deus quod aliqui sint pauperes, et aliqui divites pauperibus dent temporalia, et pro eis recipiant aeterna.»

Tertio, alii, q. d. Da aliis quod ipsorum est, accipe vero quod tuum est.

Quarto, Palacius: «In divisione sortis da et accipe, id est, inquit, cum testamentum condis, et in eo haereditatem tuam legas, ita haeredibus dato, ut tibi etiam accipias, scilicet quae pro anima tua leges. Accipe partem haereditatis, ut anima tua justificetur. Memento Machabæorum, qui vim argenti pro mortuis Hierosolymam miserunt: ita et tu ex tuo accipe, quo anima tua e Purgatorio justa discedat. Ergo hoc prioræ præcepto docet Auctor, ut tempore testamenti condendi ita relinquamus haeredibus, ut accipiamus nobis quod in oblationibus et eleemosynis pro justificatione animæ consumatur. Posteriore præcepto nos ad-

monet ne curam animæ nostræ hæredibus relinquamus; sed, si quid debemus nos, ante obitum soivamus; si eleemosynæ dandæ, si sacrificia litanda, id ante obitum curemus: quia apud inferos non est tempus inveniendi, seu merendi præmium æternam.»

Quinto, et genuine: Da, id est, communica aliis; accipe, scilicet tibi, hoc est utere, q. d. Labores, id est, opes labore tuo partas ita expendas, ut earum partem aliis quibus obligaris, præsertim indigentibus, impertias; partem aliam tibi usurpes, ex eaque et jucunde et commode vivas, sicque justifica, Græce sanctifica animam tuam; dum enim opes iste, misericorditer et sancte modo jam dicto expendis, per hanc justitiam et eleemosynam sanctificas animam tuam. Dico justitiam: nam ante omnem eleemosynam pars opum debita aliis, vel ex justitia rigida, puta creditoribus, vel ex pietate, puta filiis et nepotibus, iis danda est; deinde quod superest dandum pauperibus. Hunc sensum exigunt præcedentia, quibus suasit ut quis opes non relinquat hæredibus, sed expendat ad suum et aliorum usum. Unde Syrus vertit accipe, et alas animam tuam. Avari enim nec dant nec accipiunt; prodigi accipiunt, et non dant; liberales vero et dant, et accipiunt. Ita Jansenius. Hinc et explicans subdit: «Ante obitum operare justitiam,» tum proprie dictam, q. d. Præsta jus quod tum aliis, tum tibi ipsi debes, exhibe id ad quod jure obligaris; tum metaphoricam, qualis est eleemosyna et beneficentia: hæc enim in Scriptura vocatur justitia, quia justorum et sanctorum propria est dos et virtus, uti dixi Daniel. iv, 24; tum genericam, quæ est complexio virtutum omnium, juxta illud Aristotelis, V Ethic.:

Justitia in sese virtutem amplectitur omnem.

Unde Dionysius Carthusianus: «Operare, inquit, justitiam, exsolvendo unicuique quod ei teneris, imprimis Deo obedientiam et honorem, per omnium mandatorum ad te pertinentium adimplentionem; secundo, proximis bonum exemplum, consilium atque auxilium; tertio, tibi ipsi jugem cordis custodiam; quarto, Prælato subjectionem.» Jubet enim ut ante mortem operemur omne bonum, quo mereamur post mortem æterna præmia. Alludit enim, imo citat illud Eccle. ix, vers. 10: «Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.»

Porro Jansenius negat hic agi de merito bonorum operum, sed tantum significari ut quis, dum vivit, bonis suis fruatur, quia post mortem iis uti non licebit, nec necesse erit, nec quidquam ab eis nobiscum efferre possumus. «Itaque extra propositum, inquit, auctores quidam hunc locum sic interpretantur, ut significetur post mortem non esse locum bonorum operum et

meritorum colligendorum, quibus se homo tum reficiat et pascat, et ideo ante mortem operandam justitiam. Quamquam enim is intellectus verus sit, est tamen extra intentionem Sapientis, qui hanc causam non adducit in illius comprobationem: Ante mortem operare justitiam; quia hoc non est in Græcis, sed in illis: Da et accipe.» Hæc Jansenius. Verum hic sensus nimis jejunus et humilis est; quare aliter sentiunt et explicant Rabanus, Lyranus, Palacius et cæteri Interpretes. Agi enim hic de merito bonorum operum, liquet ex eo quod ait Noster: «Ante obitum operare justitiam,» q. d. Ante mortem operare opera justa et sancta, quibus merearis vitam æternam: licet enim hæc verba modo desint in Græcis, tamen olim ea in illis lecta fuisse, liquet ex nostro Interprete, qui ea in Latinum transtulit, cui ex decreto Concilii Tridentini, Sess. IV, magis statutum est quam Græcis modernis.

Secundo, idem liquet ex eo quod præcessit: «Da et accipe, et justifica animam tuam;» quæ verba sunt in Græco. Ex illis enim patet id quod sequitur: «Quoniam non est apud inferos invenire cibum,» non intelligi de cibo corporeo, sed spiritali, puta de justitia et merito bonorum operum. Sicut enim cibum corporis est panis, illeque corpus sustentat: sic cibum animæ sunt virtutes et bona opera, quibus illa pascitur, vegetatur et crescit in justitia Dei gratia. Unde de hoc cibo ait Christus, Joan. vi, 27: «Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis,» q. d. Contendite ut acquiratis opera bona fidei, spei, charitatis, quorum merces vobis maneat in vita æterna. Per cibum enim qui non perit, intelligi bona opera, significant Judæi, cum illico interrogant: «Quid faciemus, ut operemur opera Dei?» quibus respondet Christus: «Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.» Et Joan. iv, 34, ait Christus: «Meus cibum est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælis est.» Obedientia ergo erat cibum et delicia, quibus pascebatur et deliciabatur Christus.

Tertio, idipsum liquet ex verbis Eccle. cap. ix, 10, jam citatis, quo alludit hic Siracides. Ecclesiastes enim cibum hunc exponit, vocatque «opus, rationem et sapientiam,» quæ non est invenire apud inferos.

Quarto, idipsum significant Græca, quæ pro invenire habent ζητῆσαι, id est quærere, τρώγειν, id est cibum, vel, ut Romana, τρώγειν, id est delicias: quærere autem cibum et delicias futuræ vitæ, est eas mereri. Significat ergo in hac vita duntaxat, non in futura, esse tempus inveniendi, id est merendi, quo merito inveniatur et comparetur cibus æternus. Nam futurum sæculum suos habere cibos et delicias liquet ex illo Christi, Luc. xxii: «Et ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam.» Et potum habebat in limbo Lazarus, ex quo dives optabat linguam

humectare, Lucæ cap. xvi. Reficiebantur enim in limbo Patriarchæ et justi ante Christum sua sanctitate, amore et contemplatione Dei, mutuis piis colloquiis, et spe adventus Christi.

Ita hunc locum exponit S. Augustinus in Quæst. Veteris Testam. quæst. 22, ubi hanc Siracidis (quem ipse Salomonem vocat) gnomen conciat cum illa Psal. cxlii, vers. 2, quæ in speciem videtur contraria: «Quid est, inquit, ut dicat Salomon: Justifica animam tuam ante obitum tuum;» et in Psal. v, 42: «Non justificabitur, ait, in conspectu tuo omnis vivens?» Ac respondet: «Hic justificat animam suam ante mortem, qui spe vitæ futuræ consequitur fidem, ne moriatur impius.» Sed Salomon de eo dicit: «Qui sub lege vivit, et non conversatur juste; hujusmodi ergo si corrigat animam, ut justitiæ vias ambulet, justificat animam suam ante mortem. Salomon enim propter judicium futurum consilium dedit, ne quis indiligens circa se in peccatis moriatur; David vero de perfectione justitiæ locutus est, quia nemo justificabitur apud Deum ut dignus promissione sit, nisi fuerit mortuus cum justitia: quamdiu enim vivit, futurorum meritum non habet adhuc plenum. Unde dicit Salvator, Matth. x: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.» Siracidi concinit R. Tarpon, cujus aurea gnome exstat in Pirke Avoth, id est in Apophthegm. Patrum, cap. ii: «Dies brevis est, et prolixum opus, operarii tardi et pigri, merces ampla, paterfamilias autem compellens ad finem operis instat et urget.» Ibidem quinque sapientum Hebræorum hæc tria exstant documenta: «Æque tibi carum sit ac pretiosum sodalis tui bonum nomen, ac tuum. Ne te corripit sinas præcipitis iracundiæ motu. Die uno ante obitum ad pœnitentiam te para.» Ibidem, cap. iii, R. Achabiah filius Mahaleel: «Tria, inquit, tibi consideranda veniunt, quibus a peccato coercearis: quæ origo tuæ conditionis est, quis finis, et ante quem judicem ratio tibi reddenda est? Unde tibi origo est? e fœtido spermate. Quo tendis? ad vermes et tineas. Cui judicii debes astare judicium excepturus? Regi regum terribili, et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ, Deo sancto et benedicto.»

Denique perperam ex loco hoc Purgatorium et suffragia pro animabus eo detentis convellere nituntur hæretici, dum sic explicant: Ante mortem operare justitiam, quia post mortem tibi prodesse non poterunt preces et pœnitentiæ, quas pro te subibunt vivi, ut inde reficiaris et pascearis. Nam primo, cibum significat hic merita bonorum operum: quæ apud inferos in Purgatorio non est invenire, non satisfactiones et suffragia, quæ ibi est invenire; sed non nisi ab iis qui in hac vita operati sunt justitiam, ideoque meruerunt ut suffragiis piorum post mortem juvari possent. Secundo, Græce est: «Apud inferos non est quærere cibum,» q. d. Apud inferos non est lo-

cus merendi et comparandi merita; hæc enim sunt quasi cibus animæ, cum satisfactiones sint quasi medicinæ, aut potius lytra ejusdem.

Mystice, noster Alvarez de Paz De Adeptione virtutum, lib. III, part. V, sect. 3, cap. iii, hunc locum accipit de innovandis actibus vitæ spiritualis: «Da, et accipe, et justifica animam tuam,» q. d. Accepisti a Deo auxilium ut bonæ opereris? da igitur illi bona opera, et cooperare gratiæ susceptæ, ut iterum novam accipias, et sic ad veram justitiam et sanctitatem pervenias. Ante obitum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire justitiæ et bonorum operum cibum. At si irrepperit lassitudo, et vigor intepuerit, teipsum iterum excita, ac ad fortiter et strenue operandum coge; quia omne opus electum, id est, fervide factum, justificabitur, et qui operatur illud, honorabitur in illo.

Moraliter, ingens acerque est hic stimulus ad assiduum exercitium et incrementum bonorum operum in hac vita, quod scilicet post eam non sit tempus quærendi cibum, hoc est, merendi. Unde Angelus Apocal. x, 6, jurat per viventem in sæcula sæculorum: «Quia tempus non erit amplius.» Dum ergo mane evigilas, cogita hodiernum diem forte tibi fore ultimum. Sicut ergo apes, imminente pluvia et frigore, ardentem mel accumulunt: ita tu, imminente mortis incertitudine, opera bona accumula. Quod enim hic negligis, perdis per omnia sæcula, nec illud per totam æternitatem recuperare poteris. Cogita, si Judas et damnati apud inferos, vel horam pœnitendi et merendi haberent, quam gauderent! quid non agerent! quas pœnitentias non ultro subirent! Tu habes horam et diem, mensem et annum: vide ut illis bene utaris, quia postea frustra illa requires. Sapienter Angelus apud Venerabilem Bedam, lib. III Histor. cap. xix, mortalibus occinit: «Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria Æternitatis acquiritur.» VIVE ÆTERNITATI.

Quocirca S. Gregorius Nazianzenus monuit vitam hanc esse mercatum et nundinas, in quibus cuilibet quidlibet virtutum, omnemque gratiam et gloriam emere liceat; sed iis expletis nihil jam emendum restet; sic enim ipse canit in Tetrastichis:

Hanc esse vitam nundinas credas velim.
Negotari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus,
Post tempus illud, alterum non suppetet.

Et Seneca in Hercule furente:

Properat cursu
Vita citato, volucrique dia
Rota præcipitis vertitur anni.
Dura peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.

Quocirca sapienter monet Ptolemæus in Præ Amagesti: «Quanto plus fini appropinquas, tanto

magis bonum eum augmento operare. » Vide ea quæ dixi *Apocal.* x, vers. 6, et cap. xiv, 13: « Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo enim dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opus enim illorum sequuntur illos. » Et *Prov.* vi, 6: « Vade ad formicam, o piger, » etc. Dum ergo sumus in hęc sexta presentis vitæ, colligamus manna et cibum, quo vivamus in sabato futuri quietis et gloriæ, ait Origenes, homil. 3 in *Psal.* xxxvi.

OMNIS CARO SICUT FENUM VETERASCET. — Persistit in inculcatione mortis et necessitatis moriendi, ut per eam incitet omnes ad beneficentiam bonumque usum divitiarum ad suum et proximorum commodum. Vitam ergo brevem et mortem citam representat per duas similitudines: prior, est *fœni*; per *fœnum* intellige graminem viride, quod dum metitur et siccatur, fit fœnum. Est metonymia, *g. d.* Sicut graminem ad modicum tempus virescit et floret, ac mox demersum fit fœnum, arescit, senescit et emoritur: sic et omnis caro, in est, omnis homo, omneque vivens. Audi Rahanum: « Comparat humanam naturam secundum carnis conditionem, ad fœni folii similitudinem, quia sicut fœnum in terra, vel folium in arbore nascitur, crescit, virescit, exsiccatur et dejicitur: ita carnis nostræ natura nascitur ex progenie parentum, crescit in infantia atque pueritia, florescit in adolescentia, maturescit in juventute, arescit in senectute, et dejicitur in morte. Unde per Ecclesiasten dicitur: Generatio vadit et generatio venit, terra in sæculum stat. Hinc et Isaias ait: Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Dei sufflavit in eo. »

Profundius Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. 10: « Agrum, inquit, esse hunc mundum, nos vero divina irrigatos gratia herbam esse, attonderi morte, sed tonsos rursus exoriri resurrectione. Fœnum vero allegorice dici turbam promiscuam, quæ se ad momentaneam lætitiā applicat, quæ floret parvo tempore, quæ superflua ornamenta, quæ gloriam, quæ quidvis potius quam veritatem sectatur, quæ non ad aliud est apta quam ad ignis incendium. » Hujus discipulus Origenes, homil. 1 in *Psal.* xxxvi: « Vis etiam, ait, per singula videre quomodo flos fœni sit carnis gloria? Vide quis imperavit ante hos triginta annos, quomodo imperium ejus effloruit, continue autem sicut flos fœni emarcuit, tunc deinde alius post ipsum, deinde alius atque alius: qui deinde duces et principes; et omnis eorum gloria et honor, non solum tanquam flos emarcuit, verum etiam tanquam pulvis aridus, et a vento dispersus, ne vestigium quidem sui reliquit. Alii etiam divitiis elati, et honoribus tumidi, prudentes vel laudabiles habitū fuere per simulatam bonitatem, vel execrabiles per indomitam crudelitatem. Quorum si quis vana studia constituat emulanda, eat nunc ad cadaverum eorum reli-

quias, si tamen vel ipsa inveniri queant: aliquid enim ne hoc quidem concessum est; et tunc inveniet quomodo omnis caro fœnum est, et omnis gloria ejus ut flos fœni. » Sic Origenes de civitatibus, honoribus, imperiis, de amicis, gratia, viribus et forma.

Divine S. Gregorius, lib. XVI *Moral.* cap. v: « Iniquorum, inquit, potentia fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repente interrupta fine terminatur. Sic namque aurarum flatus in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula descendendo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur: sic spumose aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt; sed eo celerius disruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur; cumque excresecunt ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant. » S. Bernardus, serm. 35 in *Cant.*, docet, non propter naturam, sed propter vitium omnem carnem vocari fœnum. Recte, quia vicissitudo ista, instabilitas et necessitas moriendi consecuta fuit peccatum. S. Vincentius in *Monitis*:

Audi clamantem cum magna voce Prophetam,
Seu mandata legis pristina, sive nova:
Quæ laus in vultu est? fœnum omnem credite carnem;
Quippe ut flos fœni, gloria carnis erit.
Nam veluti flores ictus metit, atterit æstus,
Confundunt imbres, fortior aura rapit:
Sic vultum quandoque placet consumere tempus,
Et tumor, et livor despoliare potest.
Atque ipsam ut taceam quæ conterit omnia mortem,
Quanta licet morbis, febribus, ulceribus? etc.

Alludit Siracides ad *Psal.* lxxxix, 6: « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat. » Ad quod pariter alludens S. Hieronymus, epist. 139 ad *Cyprianum*: « Sicut enim, inquit, mane virens herba, et suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque inarescens amittit pulchritudinem, et in fœnum quod conterendum est vertitur; ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris, et repente dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extensa contrahitur, ut extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est senectute, vix moveri queat, ita ut non cognoscat quis prior fuerit, sed pene in alium commutetur. » Græca pro fœnum habent *ἵππετον*, id est *vestimentum*. Omnis caro, inquit, ut vestimentum veterascet; pactum enim *αἰώνος*, id est *sæculi* (alii vertunt *sempiternum*) est: « Morte morieris, » quæ ultima verba Noster posuit vers. 12. Græcum secutus S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. xxvii, ita hunc locum affert:

« Omnis caro sicut vestis veterascet. Testamentum est a sæculo, morte mori eos qui transgrediuntur præcepta Dei; » Tigurina, *omne animans in modum vestimenti veterascet; hoc enim est ab ævo conditum pactum: Morte morieris; Syrus, omnes homines consumendo consumuntur, et generationes mundi moriendo moriuntur.*

Ubi nota mortem vocari *testamentum mundi*, Græce *αἰώνος*, id est *sæculi*, triplici sensu: primo, *sæculi*, quia a sæculo, puta ab ævo et æterno, conditum et decretum a Deo; secundo, *sæculi*, quia ad omnia sæcula pertinet, omnesque omnium temporum homines complectitur; tertio, *sæculi*, id est *mundi*, quia non unam gentem aut regionem, sed universum plane mundum stringit et obligat.

19. ET SICUT FOLIUM FRUCTIFICANS (Græce *φύλλον*, id est *germinans*) IN ARBORE VIRIDI. ALIA GENERANTUR, ET ALIA DEJICIUNTUR: SIC GENERATIO CARNIS ET SANGUINIS (id est *generatio hominum*: hi enim constant carne et sanguine): ALIA FINITUR, ET ALIA NASCITUR. — Est syntaxis Hebraica sic latine ordinanda, et sicut folia quæ fructificant in arbore viridi, quorum alia generantur, et alia dejiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis alia finitur, et alia nascitur. Est hæc secunda similitudo celeris vitæ mortisque hominis, *g. d.* Homines similes sunt foliis arborum, quorum alia nascuntur, alia dejiciuntur; nova enim quæ nascuntur, extrudunt et dejiciunt vetera: sic est et generatio hominum; alii enim nascuntur, alii moriuntur; juvenes enim qui nascuntur, succedendo extrudunt senes. Unde Græcæ voces *καταβάλλει καὶ φέρει* tam active pro *deponit et generat*, quam passive pro *dejiciuntur et generantur*, verti possunt. Active vertunt Complutenses et Romani, sicut, inquit, *folium germinans in arbore densa alia quidem dejicit, alia autem generat: sic generatio carnis et sanguinis alia quidem finitur, alia vero nascitur*. Sic enim sensus planus est et plenus: nam si passive vertas, hiulus est et suppletus, uti supplet Syrus, qui sic vertit, *sicut folia arborum quorum hæc cadunt, et hæc germinantur; sic sunt generationes carnis et sanguinis: generatio moritur, et alia generatur, g. d.* Nata folia moriuntur, ut dent locum aliis quæ nascuntur: ita et tu tendis in mortem, ut tuis des hæreus locum. Si ergo tibi moriendum est, idque vi, cur te bono die defraudas, et aliis tua rebus? cur ex iis non speraris justitiam, et tibi ta conquiris, quibus vivas et beeris per omnem æternitatem?

osite homines comparat foliis: primo, quia folium exile est et terræ, sic et homo ac homovita; secundo, sicut folium quovis impulsu ur: sic et homo qualibet tentatione; tertio, folia in vere et æstate virent, in autumno et marcescunt: sic et homines in juventute in senectute arescunt et marcescunt, ac que in autumno et hieme (tunc enim deficiunt et debilibus calor naturalis) emo-

riuntur; quarto, sicut brevis est vita virorque fœlli, sic et hominis. Unde Homerus, *Iliade* V:

Quale foliorum genus, inquit, tale et hominum.
Folia quidem alia ventus humi fundit, alia vero sylvæ
Pullulans gignit, quando venit veris tempus:
Sic hominum genus aliud quidem nascitur, aliud autem moritur.

Quinto, sicut folium et frondes ventis sursum deorsum jaectantur: sic et homo flatibus fortis prosperæ et adversæ vel attollitur vel deprimitur. Frondes enim a ferendo dicuntur, quod huc atque illuc a vento ferantur. Frondes, inquit Valla, arborum sunt tantum; folia autem arborum, herbarum et florum: unde folium dicitur a Græco *φύλλον*, ait Festus; simplici autem lideo scribitur, quod antiqui consonantes non geminabant. Hoc est quod ait gemitque Job cap. xiii, 25: « Contrahit folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. » Sexto, sicut folia florum, v. g. rosarum, liliorum, tuliparum miro suo colore, odore, fulgore oculos recreant et rapiunt, sed illico cum marcescunt fastidio sunt, et everruntur in sterquilinum: sic prorsus accidit et juventuti hominis, ejusque decori et gratiæ, quæ omnia in morte velut cadavera ejiciuntur in sepulchrum. Septimo, sicut folia carent fructu, sed ad hoc a natura data sunt arbori vel herbæ, primo, ut eam ornent; secundo, ut eam ejusque fructum ab æstu et frigore tueantur et protegant: sic et juvenus, forma, opes, reliquæque dotes naturæ quasi folia sunt, quæ carent fructu; sed ad hoc data sunt a Deo, ut fructum virtutum et honorum operum ornent, conservent et protegant. Octavo, sicut ex arbore oriuntur folia, sic ex homine dotes jam dictæ. Rursum, sicut recens folium exoriens extrudit vetus, sic juvenus extrudit senectam et senes, ac in eorum locum, officia et gradus militiæ, mercaturæ, gubernationis subintrat. Nono, sicut continua est successio foliorum, ut aliis deciditibus alia succrescant: sic est et continua generatio hominum, ut aliis deficientibus et morientibus alii subnascantur et succedant. Rursum, sicut ex eodem arboris trunco oriuntur successive alia et alia folia, alii et alii sureuli et rami: sic ex eadem humana natura alii oriuntur, alii occidunt. Decimo, sicut arbor valde foliata parum est fructifera, quia, dum totum succum in folia effundit, parum vel nihil sibi reservat, quod in fructus conferat: ita et homines qui externum tantum decorem et pompam spectant, parum fructus gratiæ et honorum operum proferunt. Quia enim folia sectantur, amittunt fructum, instar canis Æsopici, qui, dum umbram carnis in flumine quasi majorem invasit, carnem ipsam amisit, nec umbram requisivit: tales sunt prædicatores, qui, dum verborum ornatum quasi folia consecantur, spiritum et fructum concionis, puta motum et conversionem animarum deperdunt. Ili imitantur;